

nempe quod locus sessionis in synodo sit extra presbyterium, & Canonici cathedralis stent à dexteris Episcopi, & Capitulum collegiatæ à sinistris.

Reproposita die 10. Aprilis 1728. Sacra Congregatio rescripsit: *Inspecis prerogative competentibus Capitulo dictæ collegiatæ, quæ in multis gaudet privilegio cathedralitatis in vim Bullæ Pauli III. Sacra Congregatio stetit in decisio. Referente Eminentiss. Belluga in locum Eminentiss. Zondadari Pontificis.*

1542 Sanctissimus Dom. Nost. Benedictus XIII. ad humillimas preces P. Fr. Bernardini de Nieza Ordinis Minor. Observant. Reform. Sancti Francisci, & causarum Beatificationum, & Canonizationum totius sui Ordinis Postulatoris, benigne indulisit, atque concessit, ut die 28. Septemb. festi. Beati Bernardini de Feltria Ord. Minor. de Observantia in tota Religione Seraphica, cui nomen dedit, necnon in civitate Papiensi in qua sacrum ejus corpus requiescit, & in civitat. Feltrien. ubi natus fuit, officium ipsius de Comuni. Confess. non Pontif. sub ritu dupl. & missa respective celebrari possit, & debeat, 1728. die 3. Augusti.

1543 Sanctissimus Dom. Nost. Benedictus XIII. benigne indulisit, atque concessit, ut officium Sancti Gregorii Papæ VII. aliàs à Sac. Rit. Congr. die 19. Augusti 1719. cum lection. 2. Nocturni, & Oratione propriis pro universo Ordine Benedictino revisum, & approbatum, imposterum ab omnibus Christianis utriusque sexus, tam Secularibus, quàm Regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, die 25. Maji sub ritu duplici recitari, & missa respective celebrari debeat, ac ita in Breviar. ac in Missali Romano apponi mandavit, 1728. die 36. Septembris.

1544 Cum officium Septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis ecclesiæ universali jam pro feria 6. post Dominicam Passionis assignatum multoties in dicta feria 6. post ob occurrentiam officii 2. classis recitari minime valeat, propterea Sanctissim. Dom. Nost. Benedictus Papa XIII. ob specialem devotionem erga Beatam Mariam Virgin. Septem Dolorum, idem officium die sabbati immediate sequenti, non obstante, quod dicta die occurrat aliud officium alterius Sancti, dummodo non sit altioris ritus, ab ecclesia universali imposterum celebrari, & festum Sancti occurrentis juxta rubricas generales transferri mandavit, 1729. 25. Januarii.

1545 Sanctissimus Dom. Nost. Benedictus XIII. ad humillimas preces Reverend. P. D. Julii Aresii Congregationis Cassinens. Ord. Sancti Benedicti Præsidis Generalis benigne indulisit, atque concessit, ut die 10. Februar. officium Sanctæ Scholasticæ Virgin. & Abbatissæ ejusdem Sancti Benedicti Sororis cum lection. 4. Nocturni & Oratione propriis jam in universo Ordine Benedictino recitari solitum, imposterum ab omnibus utriusque sexus Christianis, qui ad horas canonicas tenentur, sub ritu dupl. recitari, & missa respective celebrari debeat, & ita in Breviar. & Missali Romano apponi mandavit, 1729. die 1. Februarii.

1546 Sanctissimus Dominus Noster Bened. XIII. ad enixas, supplicesque preces Eminent. & Reverendissimi Dom. Card. Accoramboni Episcopi Imolen. benigne concessit, ut die 4. Decemb. officium Sancti Petri Chrysologi Episcopi, & Confessoris cum Oratione, & Lectionibus propriis juxta approbationem à Sacra Rituum Congregat. sub die 19. Augusti 1617. pro ecclesia Imolens. factam, ab omnibus tam Secularibus, quàm Regularibus utriusque sexus, qui ad horas canonicas tenentur sub ritu duplici, servatis tamen Rubricis Breviar. ac Missalis Romani imposterum recitari debeat, & ita in Breviar. ac Missali Romano, apponi mandavit, 1729. 20. Februarii.

1547 In decreto Canonizationis Beati Seraphici de Monte Granario Ordinis Minorum Cappuccin. Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XIII. concessit officium, & missam ejusdem Beati in toto Seraphico Ordine Sancti Francisci pro die 12. Octobris de Comuni Confess. non Pontif. sub ritu duplici, 1729. 18. Julii.

## FIRMANA SALUTIONIS.

In Collegiata Murri Vallium habentur conones in 1548 Adventu, & Quadragesima: nascitur questio cui debeat prima salutio faciendæ à Concionatore, Canonico, an Magistratu? Die 20. Augusti 1729 ab Eminentissimo S. Clementis fuit propositum dubium: An, & cui debeat primo loco salutio? Sacra Congregatio rescripsit: *Salutationem deberi Capitulo primo loco, & amplius.*

Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XIII. 1549 ad humillimas preces Patris Magistri Frat. Felicis Leonis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Procuratoris Generalis benigne indulisit, atque concessit, ut officium Sancti Joannis à Sancto Facundo cum lectionibus 2. nocturni, & oratione propriis, jam pro universo prædicto Ordine Eremitarum Sancti Augustini approbatum, & ad omnia regna, ac dominia Serenissimo Regi Catholico subjecta novissime extensum imposterum ab omnibus Christianis utriusque sexus, tam Secularibus, quàm Regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, die 12. Junii sub ritu dupli recitari, & missa respective celebrari debeat, & ita in Breviaris, & Missalibus Romanis apponi mandavit, 1729. 16. Novembris.

Prædicto officio, cum dies propria, scilicet 12. Junii, sit in perpet. impedita officio altioris Ritus, assignatur dies 15. Junii.

De mandato Sanctissimi Dom. Nost. Benedicti Papæ XIII. extensum fuit ad totum Seraphicum Ordinem utriusque sexus officium Beati Fidelis à Sigmaringa Martyris Ordinis Cappuccinorum pro die 24. Aprilis sub ritu dupli majori, 1729. 2. Decembris.

Ad humillimas preces P. Fr. Josephi Mariæ ab Eborâ Commissarii Generalis in Curia Ordinis Minorum de Observantia Sancti Francisci Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papæ XIII. porrectas, sanctitas sua orationem, & lectiones secundi nocturni proprias, & antiphonas ad Benedictus, & ad Magnificat approbavit, & in officio, ac missa diei festi Sanctæ Margaritæ de Cortona, tam ab omnibus Religiosis totius Ordinis Minor. quàm à Monialibus, & Regulari civitatibus, & diocesis Corton sub ritu dupl. 2. classis cum octava, servatis tamen Rubricis Breviar. & Missalis Romani. imposterum recitari posse benigne concessit 1730. 6. Februarii.

## TRIVICANA.

Die 18. Aprilis 1730.

Episcopus Trivicanus consuevit habitare in terra 1552 Castell. in qua adest ecclesia parochialis cum numero Presbyterorum, quam Episcopus refert esse collegiatam; sed Capitulum cathedralis contendit contrarium, dicens esse mere receptivam: Quod comprobatur, quia ejus prima Dignitas non est reservata; quod secus foret, si esset collegiata, ut notum est. Sed utrum sit collegiata, pendet lis in Sacra Congregatione Concilii: Episcopus propria auctoritate dedit eisdem Presbyteris Canonicis nuncupatis usum quorundam insignium, nempe rocheti sine manica, & almutiæ cum capitulo, ad instar aliarum collegiarum diocesis Beneventanæ. Adversus quam concessionem recurrit Capitulum cathedralis, & proponit dubium:

1. An concessio insignium, de quibus agitur, facta ab Episcopo Trivicano RR. Presbyteris Vener. ecclesiarum S. Joannis Baptistæ Cansi, & S. Mariæ de Fratta castelli præsentiarum collegiarum sustineatur?

Sacra Congregatio prædicta die, Ponente Eminentissimo Pico, rescripsit. *Ad primum Negative.*

Ad instantiam dictarum ass. collegiarum fuit propositum aliud dubium adversus Capitulum cathedralis, nempe.

2. An Capitulum cathedralis ecclesiæ Trivicanæ sit manutendum in possessione, seu quasi, deferendi in-

signia, de quibus agitur. Sacra Congregatio rescripsit, *Negative quoad Insignia concessa ab Episcopo Viglino, & moderno.*

Pro cuius intelligentia Capitulum hujus cathedralis, usque ad annum 1704. non aliis Insignibus usum fuit, quam quadam mozzeta violacei coloris lanea sine capitulo; sed anno 1704. sub Episcopatu dicti Episcopi Viglini obtinuerunt reintegrationem ad jus deferendi rochetum, & mozzettam cum capitulo, quod decretum confirmatum fuit à moderno Episcopo, ut ipse retulit in sua informatione, asserens dictum decretum ab Antecessore processisse prorsus inscio, & cum actis falsis, & se etiam deceptum fuisse: quibus documentis innititur relata resolutio.

1553 Ex decreto Sac. Rit. Congr. officium S. Monicæ Vid. 4. Maii imposterum celebratur sub ritu dupl. 1710. 26. Augusti.

1554 Sacra Rit. Congr. concessit universo Ordini Sancti Francisci lect. 2. nocturni pro officio Beati Fidelis à Sigmaringa Ordinis Minorum Cappuccinorum; 1730. 20. Septembris.

1555 Cum ex parte Pat. Fr. Josephi Mariæ ab Eborâ, Commissarii Generalis in Curia Ordinis Minor. Observ. Sancti Francisci supplicatum fuerit pro extensione officii, & missæ de Comuni sub ritu Semidup. Beati Simonis à Lipnica Sacerdotis Regularis Observantiæ Sancti Francisci de anno 1689. pro regno Poloniae jam elargitum, ad universum Ordinem, tam Fratrum, quàm Monialium S. Francisci: Sac. Rit. Congr. dictum officium in universo præfato Ordine singulis annis in festo ipsius Beati die 18. Julii juxta recitari, & missam respective celebrari posse benigne indulisit, atque concessit; 1730. 9. Decemb.

## NEAPOLITANA.

1556 In loco Casoria, quod est unum ex suburbiis civitatis Neapolis, ubi adest collegiata Insignis, inter cuius Præpositum & Canonicos ex una, & Parochos civitatis ex alia parte, lite exorta circa præcedentiam, propositum fuit dubium:

An in synodo Neapolitana, & aliis functionibus publicis in dicta civitate faciendis, debeat præcedentia Præposito & Canonicis collegiatæ S. Mauri Casalis Casoriae, vel potius Parochis civitatis Neapolis? Sacra Congreg. Ponente Eminentissimo Belluga die 9. Decembris 1730. rescripsit: *Ad primam partem Affirmative, & Negative ad secundam, & amplius.*

## BONONIEN.

Die 9. Decembris 1730.

1557 Ponente Eminentissimo Origo, Magistratus Terræ Plebis occasione reedificationis ecclesiæ collegiatæ iniit concordiam cum Capitulo anno 1728. circa modum sedendi in concionibus, in qua cum daretur pars dextera Magistratui, & quia Canonicus, qui contraxit, non habebat speciale mandatum, fuit impugnata à Capitulo & dicta die proposita fuerunt sequentia dubia?

1. An ass. concordia die 10. Februar. 1728. sit servanda?

2. An liceat Magistratui retinere scamnum æqualiter elevatum cum scamno Capituli è conspectu Concionatoris, & an sit licitum illud retinere à parte dextera?

3. An Capitulum occasione concionum, retinere debeat suum scamnum intra presbyterium, vel potius servandus sit stylus prædicatus ante restaurationem ecclesiæ?

4. An salutio pro Concionatore Capitulo, & Magistratui sit peragenda in confuso, vel cum prælatione Capituli, vel potius sit omittenda?

5. An danda sit à Subdiacono pax per amplexum Gubernatori, & duobus Consiliis, reliquis verò Communitatis à Mansionario, seu alio Sacerdote cum pluviali per instrumentum?

FERRAR. BIBLIOT. TOM. XC9

6. An teneantur Canonici per se, vel per alium præsentare aspersorium Magistratui in ingressu ecclesiæ? Rescripsit Sacra Congregatio. *Ad 1. & 2. Negative. Ad 3. Affirmative quoad primam partem, & Negative quoad secundam, transportato pulpito sumpibus propriis Communitatis in situ comodo Capituli. Ad 4. Esse faciendam cum prælatione Capituli. Ad 5. Esse dandam à Mansionario per instrumentum. Ad 6. Esse servandam concordiam anni 1699. in qua convenitur, aspersorium esse præsentandum Magistratui à Magistro caeremoniarum.*

## TERULEN. PRÆEMINENTIARUM.

Die 20. Augusti 1729. Ponente Eminent. Belluga.

Inter Promotorem Fiscalem curiæ episcopalis, & 1558 Capitulum cathedralis concordata fuerunt sequentia dubia.

1. An liceat apponi tapetum cum pulvinari ante pedes Præbendati celebrantis, etiam quando descendit vertendo terga ad altare, pro impositione cinerum, ac distributione candelarum, & palmarum, ac pro quacunque alia functione.

2. An liceat, etiamsi sequatur casus, quod Magistratus civitatis, vulgò *Regidores*, utantur eodem tapete, & pulvinari in eisdem functionibus.

3. An liceat præsentari Episcopo eisdem Dignitatibus, & Canonicis intra, vel extra ecclesiam cathedralem adhibere in privatis functionibus ecclesiasticis sedes cum brachiis, & subsellis, aut solum uti debeant scabellis, vel scamnis, quemadmodum utuntur, Episcopo pontificalia exercente?

4. An liceat eisdem Dignitatibus, & Canonicis occupare easdem Sedes cum brachiis, absente Episcopo, in functionibus ecclesiasticis intra ecclesiam, non obstante non usu in cathedralibus Hispaniæ.

5. An Episcopo pontificalia exercenti competat retentio baldachini etiam pretiosi, & aurati supra Sedem positam è latere altaris majoris?

6. An eadem retentio competat Episcopo, etiamsi Capitulum omiserit apponere baldachinum super altare majus?

Sacra Congr. rescripsit dicta die. *Ad 1. Non licere, Ad 2. Pro reformatione dubii. Ad 3. Negative quoad primam partem, & Affirmative quoad secundam. Ad 4. Negative. Ad 5. Competere, dummodo non sit pretiosum, nec auratum. Ad 6. Affirmative: Et Episcopus cogat Capitulum ut ponat baldachinum super altare majus.*

Reproposito secundo dubio die 9. Decembris 1730. fuit rescriptum, *Negative.*

Officium S. Andreæ Corsini Episcopi & Confessoris, 1559 Semidupl. 4. Februar. deinceps duplex ex decreto S. R. C. 1731. 3. Jan.

## TRIVICANA.

Die 28. Aprilis 1731.

Anno 1706. Episcopus ob malam suam valetudinem 1560 confecit Oleum Sanctum in ecclesia S. Mariæ Terræ Castell. & Archipresbyter dictæ ecclesiæ præteridit illud distribuere; quæ res dedit motum Canonicis cathedralis recurrenti, & proposita fuerunt duo dubia:

1. An Episcopus Trivicanus solitam consecrationem Oleorum Sanctorum in Fer. 5. in Coena Domini teneatur facere in cathedrali?

2. An dato quod Episcopus propter aliquam canonicam necessitatem Oleorum Sanctorum consecrationem faciat in aliqua ecclesia diocesis, dicta Olea Sancta dispensari debeant in ecclesia cathedrali Parochis totius diocesis? Sacra Congregatio die 19. Febr. 1707. rescripsit. *Ad primum affirmative cessante legitimo impedimento: Ad secundum affirmative.*

Præfata die 28. Aprilis 1631. ad instantiam promotoris Fiscalis fuit propositum dubium:

An sit standum, vel recedendum à decisio in Sacra Congregat. die 19. Februar. 1707. tam quoad ecclesiam

N in



- in qua fieri debeat consecratio Olei Sancti in die Cœnæ Domini, quàm quoad Ecclesiam, in qua fieri debeat illius distributio in casu? Sacra Congregatio, Ponente Eminentissimo Pico, rescipit: *In decisis in omnibus, & amplius.*
- 1561 A Magistratu provincie Guipuscoe cum mandatis procuræ omnium locorum fuit emissum votum jejuniandi in Vigilia S. Ignatii Loyolæ, tamquam Patroni Principalis illius. Quod cum servare renuerit Clerus, propterea Episcopus tamquam legislator ecclesiasticus illum obligavit ad ejus observantiam. At reportavit Clerus chirographum à fel. mem. Benedicto XIII. quo improbatum fuit illud factum Episcopi sub die 21. Martii 1729. à quo cum petita fuisset oris aperitio in Sacra Congreg. Rit. die 3. Martii 1731. Ponente Eminentissimo Origo, fuit denegata: Et iterum postulato recessu à decisis die 15. Decembris. Sacra Congregatio stetit in decisis.
- 1562 Pro universo Ordine Minorum emanavit decretum Sacrae Rit. Congreg. cum approbatione orationis, & lectionis. 2. nocturni propr. & elevation. ad Rituum dupl. maj. fest. Beati Joannis de Prado Ordinis Minorum, 1732. 17. Maii.
- 1563 Lectiones proprias, & Orationem Beati Joannis de Prado ab Eminentiss. & Reverendiss. Dom. Card. Origo diligenter revisas, examinatas, & ad instantiam P. Fr. Petri Ivan de Molina Secret. Generalis Curie Minor. Exalceat. eorumque provincie Sancti Didaci in Boetica Procuratoris, ac hujusmodi causæ Postulatoris in S. R. C. relatas, Sac. Ead. Cong. approbavit, ac singulis annis die 24. Maii pro 2. nocturno in officio diei festi ipsius Beati ab omnibus, quibus dictum officium concessum fuit, una cum præfata Oratione etiam in missa recitari, ac in universo Ordine Minor. illius festum cum officio, & missa sub ritu dupl. maj. servatis tamen rubricis celebrari posse indulsit, si Sanctiss. Dom. Nost. visum fuerit; 1732. 17. Maii *Factaque deinde per me Sever. de prædictis SS. D. N. relatione, Sanctitas sua benigne annuit, die 31. ejusdem Mensis, & Anni.*
- 1564 Sac. Rit. Congregatio approbavit, & concessit Ordini Minor. Observ. orationem, & lect. 2. nocturni pro festo Sanctæ Helenæ Ydiuæ; 1732. 13. Sept.
- 1565 SS. D. N. Clemens Papa XII. prævio decreto Sacrae Rit. Congreg. approbavit cultum ab immemorabili tempore præstitum Beato Joanni de Dukia Ord. Minor. Observant. Sancti Francisci, & concessit die 19. Maii 1733. officium, & missam ejusdem de Comm. Confessor. non Pont. dupl. pro tota Religione Ordin. Min. S. Francisci, necnon pro Clero Seculari & Regulari, civitat. Leopoliens. assignata tamquam dies propria in perpet. pro festo illius die 19. Julii, cum dies propria illius obitus sit perpetuo impedita ob fest. Sancti Michaelis Archangeli die 29. Sept.
- 1566 Sac. Rit. Cong. ad humillimas preces PP. Procuratoris Generalis Commissarii Generalis Curie, & Procuratoris Generalis Reformat. Exalceator. & Recollect. Sancti Francisci. porrectas, ut in recitatione divini officii uniformitas in tota Religione servetur, benigne indulsit, ut singulis annis Dom. 3. post pasch. Resurrectionis Domini fest. Patrocinii Sancti Josephi cum officio & missa aliàs approbatis in universo Ordin. Min. Observ. Reform. Exalceat. Recollect. Sancti Francisci utriusque sexus sub ritu dupl. servatis tamen rubricis, celebrari possit, 1733. die 4. Julii. Vide infra n. 1577.
- 1567 Pia majorum Cæsarum exempla secutus Augustissimus Imperator Carolus VI. ut Beatissimæ Virginis Mariæ cultus sub titulo Septem Dolor. jam per tot. fere Germaniam dilatus, magis in dies augetur, Sanctiss. Domino N. Clem. XII. per Eminent. & Reverendissimum D. Cardinales Cienfuegos preces suas obtulit, ut festum cum officio & missa eorumdem Septem Dolorum ea forma, & modo, quibus à fratribus Ord. Servorum B. M. V. Dominica tertia Septemb. recitatur, id ad illam extendere dignaretur; iisdem verò precibus à Sancti. sua ad Sacra. Rituum Congreg. remissis, atque relatis: Sac. eadem Congreg. petiit offic. & missam in omnibus statusibus hereditariis præfata Cæsareæ Majestatis dicta
- Dominica tertia Septembris sub ritu dupl. recitari, & missam respective celebrari debere indulsit, die 28. Augusti 1734.
- Ex decreto ejusdem S. R. C. 6. Maii 1736. Quando occurrit vigili. & aliq. fest. habens officium, id est, evangelium, tunc omitt. 9. lect. & fit tantum com. vigili. laudib. & missa privat. in hujus sine legitur evangelium Sancti Joannis. Ideo corrigi debet error in recentioribus Breviariis, & Missal. impress. in vigili. omnium SS. occurren. cum officio Sancti. Cosmæ & Damiani hab. idem evangel. *Descendens, &c.* Maxime cum extet aliud decret. eman. 10. Junii 1690. prohibens mutare aliquid in officio vel missa sine speciali indulto Sedis Apostolicæ, & ut hab. etiam ex bulla S. Pii V. &c.
- Adveniente infra aliquam octavam Fer. 4. Cinerum, vel Vigil. Pent. vel die 7. Decemb. officium de infra octav. cessat post Completor. diei præced. Si autem prædictis tribus occurrat dies oct. offic. de infra octav. cessat post nonam præced. diei, nec amplius fit de ea diei 21. Junii 1736.
- Decretum emanatum an. 1737. occasione proxime Canonizationis, in quo statuitur firma regula, que servari debet circa præcedentiam in preferendis nominibus Servorum Dei, qui à Summis Pontificibus in catalogo Sanctorum adscribuntur.
- Cum Sacrorum Rituum Congregatio sub die 29. Decembris anni 1670. annuente San. mem. Clemente X. demandaverit in expressione nominum Beatorum qui canonizandi sunt, servandum esse ordinem hierarchiæ ecclesiasticæ nempe antecedere debere primo illis status clericali: Secundò illis status Regularis, & tertio inter plures ejusdem Ordinis attendendum esse tempus mortis, prout clarius subinde declaravit alio simili decreto die 14. Jan. subsequentis anni 1671. ab eodem Pontifice similiter approbato. Cumque occasione proxime future Canonizationis dubitatum fuerit de ordine servando in exprimendis nominibus B. Vincentii à Paulo Sacerdotis Fundatoris Congreg. Missionis, & Societatis puellarum de charitate, & B. Joannis Francisci Regis Sacerdotis Professi Societatis Jesu, Congregatio particularis Sacrorum Rituum à Sanctissimo Domino Nostro deputata hoc suo decreto statuit, & mandat servari memorata decreta, cum hac tamen declaratione, quod si inter plures ejusdem status, & ordinis reperiantur unus, qui sit fundator alicujus Religionis, Congregationis, Societatis, aut alterius hujusmodi Instituti, sive Clericalis, sive Regularis à S. Sede approbati, præferatur aliis, qui hanc qualitatem Fundatoris non habent, licet ante in Domino obdormierint, ideoque in casu, de quo agitur, primo loco nominetur Vincentius à Paulo, secundo Joannes Franciscus de Regis, si Sanctissimo, &c. die 16. Apr. 1737.
- Factaque per me Fidei Promotorem de prædictis SS. Domino Nostro Clementi XII. relatione, Sanctitas sua decretum istud prædictæ Sacrae Congregationis Particularis confirmavit, & approbavit, & imposterum servari mandavit. Die 17. ejusdem mensis April. 1737.
- Sanctissimus Dom. Nost. Clemens Papa XII. missam & officium proprium Sancti Aloysii Gonzagæ & Societate Jesu pro festo ipsius die 21. Junii cujuslibet anni Dominis omnibus Sacra. Cæsareæ Majest. subjectis, nonnullisque aliis regnis, ac Provinciis, ac toti fere Italiae sub ritu dupl. min. concessum ad extras, humillimasque preces ab Eminentiss. & Reverend. Dom. Card. Pico de Mirandula, & Columna tum proprias, tum aliarum quamplurium per eandem Italiam ecclesiarum sibi hodierna die perlatas, Sanctitas sua atenta tam utriusque Cardin. cum Sancto Adolescente sanguinis conjunctione, quàm multitudine, mirabil. gratiar. quas præfate ecclesie à Deo, meritis ejusdem Sancti assidue se impetrare unanimiter fatentur, dictum officium, & missam ad omnes utriusque sexus Christianifideles existentes in tota Italia, & insul. adjacent. quæ ad horas canonicas tenentur, sub eodem ritu imposterum extendi mandavit; 1737. 18. Maii.

Offi-

- 1572 Officium cum oratione, & lect. 2. nocturni propriis Sancti Vincentii à Paulo Confess. pro univers. ecclesia approb. à S. Rit. Congregat. ex decreto emanato, 1737. 7. Decembris.
- 1573 Officia concessa alicui regno, seu ditioni possunt ad servandum uniformitatem diocesis recitari à diocesanis etiam existentibus extra tale regnum, seu talem ditionem; dummodo sua cathedralis sit intra ipsum regnum, seu ditionem. Sacra. Rit. Cong. in Brisiven. 7. Decembr. 1737.
- 1574 Item pro omnibus Christianifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, emanat. ex decret. Sac. Rit. Congreg. approb. officium cum oratione, hymn. ad matutinum & lection. 2. nocturn. propr. Sanctæ Julianæ de Falconeriis, 1738. die 8. Martii.
- 1575 S. R. C. approbavit, atque concessit officium S. Joannis à Cruce Confess. cum lectionibus 2. nocturni, ac oratione propria, atque ad universalem ecclesiam ampliativ. pro die 24. Novembris sub ritu semiduplici, recitandam ab utroque Clero Seculari, & Regulari anno 1738. die 3. Octobris.
- 1576 Officium S. Felicis à Cantalicio Confess. Ord. Min. Cappuccinorum cum lectionibus secundi, & tertii nocturni, ac oratione propriis novissime emanatis, S. R. C. ad totam Italiam, Insulasque adjacentes sub ritu semiduplici recitandum die 21. Maii ab utroque Clero Seculari, & Regulari missamque propriam celebrari, extendit anno 1739. die 21. Martii.
- 1577 Anno idem 1739. ubi die 9. Maii S. R. C. decrevit ut Officium S. Gertrudis Virg. Abbatisse Ord. S. Benedicti cum lectionibus secundi nocturni, ac oratione propriis in ecclesia universali die 14. Nov. recitetur sub ritu dupl. min. ac ejusdem missa respective celebretur.
- 1578 Ex decret. Sac. Rit. Congreg. 20. Januarii 1741. officium Patrocinii Sancti Josephi Sponsi B. M. V. dupl. Dom. 3. post pascha, imposterum celebrabitur sub ritu dupl. 2. classis.
- 1579 In ditionibus Sereniss. Dom. Austriac. officium Sancti Joannis Nepomuc. Martyris semidupl. 16. Maii imposterum celebrabitur sub ritu dupl. ex Indulto Sanctis. Dom. Nostri D. PP. Benedicti XIV. die 13. Apr. 1741.
- 1580 Ex decreto S. R. C. 16. Septemb. 1752. concessum est officium proprium, & missa patrocinii B. M. V. pro toto Ordine Minorum de Observantia pro Dominica secunda Novemb.
- 1581 Cum festum S. Zenonis martyris, quod in civitate, & diocesi Veronensi, uti illius Episcopi, & Principalis Protectoris, quotannis die 12. Aprilis de præcepto cum octava celebratur, aliquoties incidat in feriam sextam Parasceves, vel in Sabbatum Sanctum: Clerus Secularis, ac Regularis ejusdem civitatis, & diocesis, Sacrae Rituum Congregationi humillime supplicavit, quatenus in casu talis occurrence imposterum dictum festum S. Zenonis ad feriam 2. post Dominicam in Albis cum officio, & octava transferre, necnon officium diei festi S. Petri martyris totius illius diocesis Protectoris imminuere principalis ad ritum duplicem secundæ classis elevare dignaretur; & Sac. Cong. audita prius informatione Episcopi, hujusmodi instantiis juxta petita benigne annuit. Die 15. Sept. 1742. in Veronen. *Ex rogessit ejusdem S. C.*
- 1582 Ex decreto emanato sub die 10. Januar. 1743. SS. D. N. Benedictus XIV. concessit omnibus Religiosis & Monialibus Ordinis Minorum recitationem officii, & missæ de communi nec Virg. nec Mart. B. Joannæ Valeriæ sub ritu semiduplici pro die 4. Febr. anniversaria ejus obdormitionis.

## OMNIUM DOMINIORUM.

Serenissimo Regi Sardinie subjectorum.

- 1583 Ad satisfaciendum insigni pietati, ac Serenissimi Regis Sardinie devotioni, Rega S. Vincentium à Paulo Congregationis Missionis fundatorem, necnon pio desiderio nonnullorum Episcoporum in ejus dominis existens

FERRAR. BIBLIOT. TOM. X.

tenium, Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XIV. ad instantiam ejusdem Majestatis suæ benigne inclinatus indulsit, ut in cunctis dominis præfata Serenissimo Regi subjectis ab universo Clero seculari, qui ad horas canonicas tenetur, officium proprium cum missa ejusdem Sancti sub die 20. Aprilis 1731. approbatum sub ritu primæ classis recitari, ac respective celebrari possit, & valeat. Hac die 28. Martii 1745.

Num obstante alio decreto emanato à Sac. Rit. Cong. 1584 11. Maii 1743. in favorem Patrocinii S. Joseph, quo officium erat præferendum in concursu cum festis SS. Apostolorum, & Evangelistarum: Denuo exposito dubio in S. R. C. pro parte ecclesie Metropolit. Florentinæ emanavit aliud decretum declarationis dubii super occurrence festi SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi, ac S. Marci cum altera festivitate Patrocinii S. Joseph, S. R. C. die 3. Julii 1745. respondit præferendum esse festum Apostolorum & Evangelistarum.

## DECRETUM

Ordinis Minorum Observantium.

Cum sub die 4. Maii nuper elapsi anni 1748. proderit decretum, per quod universo Ordini Minorum S. Francisci inscio penitus Ministro Generali tum Minorum Observantium, tum Reformatorum ejusdem S. Francisci à Sacra Rit. Congregat. facultas impertiretur recitand. offic. S. Josephi à Leonissa sub ritu dupl. 2. class. elevabatur, ideo supplicante nunc eidem Sacrae Rituum Congr. F. Josepho à Fano Procuratore Generali prædicti Ordinis Minorum Observantium, nomine etiam præfati Ministri Generalis, ut liceret in suo Ordine prosequi deinceps rationem officii S. Fidelis à Signa sub ritu tantum duplici maj. prout hæctenus consuevit, facultatem faceret recitandi officium S. Josephi à Leonissa sub eodem ritu cum oratione, & lectionibus 2. nocturni propriis die 7. Sept. prox. præteriti approbatis. Sacra ipsa Congr. utriusque petitioni benigne annuit. Hac die 11. Januarii 1749.

## BITECTEN.

Concessionis officii, & missæ, de communi in honorem B. Jacobi Illyrici vulgo de Bietto nuncupati laici professi Ord. Min. Observ. S. Francisci.

Reproposita in Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria habita sub infrascripta die nomine Patris fratris Leopoldi à Roma Sacerdotis Professi Ord. Min. Observ. Reformat. S. Francisci, ac Postulatoris generalis causarum Beatificationis, & Canonizationis præfati sui Ordinis instantia super concessione officii, & missæ de communi in honorem B. Jacobi prædicti, in ejus causa usque, & sub die 5. Julii anni 1700. approbationem consecutus fuerat cultus immemorabilis eidem præfatus. Sacra ipsa Congreg. super accedentibus supplicationibus Reverendissimi Episcopi Biettensis, Capituli ecclesie cathedralis, & Magistratus urbis Bietti, necnon audit. R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, qui scripto, & voce suam sententiam exposuit, ejusdem gratiam licet aliàs denegatam sub ritu duplici Ordini Min. Obs. & Reform. S. Francisci ac dioc. Biettensi pro die 20. Aprilis benigne largita est, atque concessit, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit, Hac die 19. Aprilis 1749.

Factaque deinceps per R. P. D. Erbam Protonotarium Apostolicum, & Pro Secretarium de prædictis eidem Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die 23. ejusdem mensis, & anni 1749.

## POSNAN IEN.

Postquam per Sacra. Rituum Congregationem Ordinariam habitam die 31. Januarii currentis anni 1750. approbatus fuerit cultus immemorabilis B. Ladislai de Gielniow, ac subinde fuerit die 11. Februarii ejusdem

N 2 anni



anni per SS. Dominum Nostr. Benedictum XIV. confirmatus; ex parte P. Procuratoris Generalis Ord. Minor. Observ. S. Francisci ac etiam P. Mathie Rornerki Ex-Provincialis Provinc. Majoris Poloniae ejusdem Ord. & hujus causæ Postulatoris promoti fuit instantia pro concessione officii, & missæ de Conf. non Pont. cum or. propr. in honorem dicti Beati tam in oppido de Glielnoiv, & in civit. Varsaviae, ac in toto ducatu Masoviae sub ritu dupl. majori, quam in Ord. Minor. sub ritu dupl. minor. Cumque hanc instantiam in præfata Sac. Cong. per Celsitudinem Regiam Em. & Reverendissimi D. Card. Ducis Eboracensis relata fuerit, Sac. eadem Cong. auditu prius R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, qui voce, & scripto suam sententiam exposuit, petitum officium, & missam de com. Conf. non Pont. cum orat. pariter de eodem commun. recitandum & respective celebrandum, quotannis die quarta Maii tam in oppido Glielnoiv, & in civitate Varsaviae, ac in toto duc. Masoviae, sub ritu dupl. maj. quam in toto Ord. Min. Observ. S. Francisci sub ritu dupl. min. concessit, si Sanctiss. Dom. Nostro placuerit. Hac die 2. Maii 1750.

Et facta per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiss. Domino Nostr. relatione, Sanctitas sua benigne annuit, die 9. Maii 1750.

P O S N A N T E N S I S.

1588 Jam aliis Sacrorum Rituum Congregatio habita die 2. Maii 1750. concessit officium & missam de comm. Confess. non Pont. in honorem Beati Ladislai de Glielnoiv recitandum, & respective celebrandum sub ritu dupl. maj. quotannis die 1. Maii in oppido Glielnoiv, in civitate Varsaviae, & ducatu Masoviae; in Ordine vero Minorum sub ritu dupl. minori. At quotiam præfata dies 4. Maii in didis locis, & in præfato Ord. Min. impedita reperitur ab offic. S. Monicae, jam pro ecclesia universali concessio, & ab offic. S. Floriani, quod in præfatis locis uti Patronus minus principalis colitur, ideo supplicantibus postulatoribus pro translatione festi dicti B. Eadem Sac. Congreg. ad relationem Celsitudinis Regiæ Eminentiss. ac Reverendiss. D. Cardinalis Ducis Eboracensis rescripsit: Quoad Utrutrum Min. Ord. Observ. recitatio dicti officii fiat die 22. mensis Octob. quo verò ad loca regni Poloniae comprehensa in decreto, die per Nuntium Apostolicum, auctis Ordinariis, designanda, exceptis tamen D. minici, ac Tempore Quadragesimæ, Adventus, & Quatuor Tempor. & Vigiliarum. Die 19. Septembris 1751.

C A S A L E N.

1589 Cum ab antiquo, & immemorabili tempore Canonici ecclesie cathedralis Casalensis diebus Dominicis aliisque festis infra annum occurrentibus, quando à Mucis vesperæ decantantur, consueverunt eo tempore in choro bini & bini vesperas, & completorium recitare, excitatum est dubium, an per eum modum recitandi completorium satisfaciatur Canonici muneris suo, pro cuius declaratione Episcopus Casalen. & Canonici prædicti ad Sacram Rituum Congregationem recursum habuerunt. Et Sacra eadem Congregatio his omnibus mature expensis, quæ in hanc rem deducta sunt, ad relationem Eminentissimi, & Reverendissimi D. Cardinalis Tamburini ponentis rescripsit: Canonici non satisfacere obligationi chori recitando modo prædicta completorium tempore, quo à Mucis vesperæ decantantur, Die tertii Aprilis 1751.

C R A C O V I E N.

1590 S. R. C. auditu prius R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, orationem, & lectiones secundi nocturn. proprias B. Salomeæ approbavit, & quotannis die ejus festo 17. Novemb. ab omnibus tam secularibus quam regularibus utriusque sexus, quibus ex indulto Sedis Apost. permissum est ipsius Beate officium de Com. Virg. imposterum recitari posse benigne induisit.

atque concessit, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit: Die 3. April. 1751.  
Et facta deinde de prædictis eidem Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit, die 24. ejusdem mensis & anni 1751.

Ordinis Minor. S. Francisci de Observ.

Sanctiss. D. N. Benedictus XIV. ad humillimas preces P. Procuratoris Gener. Ord. Minor. S. Francisci de Observ. lectiones proprias 2. nocturni, cum oratione S. Francisci Solani Confess. ejusdem Ordinis, tam pro die festo, quam pro die ejus octava accurate revisas, & examinatas, auditu prius R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, benigne approbavit; ac insuper concessit, ut singulis annis die festo, & respective octava prædicti Sancti ab omnibus Religiosis utriusque sexus, & aliis quibus ex indulto Apostolico concessum est, ipsius Sancti officium de Comuni recitare possint, & valeant; die 26. Junii 1751.

R E G N I S A R D I N I E.

Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XIV. piis enixisque precibus nomine majestatis Regis Sardinie per Comitum de Rivera Sanctitati suæ porrectis benigne annuens, indulisit, ut officium Sancti Camilli de Lellis sub ritu dupl. minori in omnibus dominiis eidem Regi subjectis imposterum recitari possit, & valeat. Die 8. Januarii 1752.

SS. Dominus Noster orat. & lect. 2. nocturni proprias, necnon lect. 3. noct. B. Ladislai de Glielnoiv benigne approbavit, & tam in Ord. Min. Observ. quam in oppido Glielnoiv & civitate Varsaviae ac in toto ducatu Masoviae pro die festo 22. Octobris recitandas concessit. Die 11. Martii 1752.

Ord. Min. S. Francisci de Observantia.

Porrectis SS. Domino Nostr. Benedicto Papa humillimis precibus per Patrem F. Bernardinum à Terlitio Commissarium Generale Curie Ord. Min. S. Francisci de Observ. pro extensione ad omnes Religiosos utriusque sexus Ministro General. totius Ord. subiectos, officiorum & missarum in memoriam scilicet B. Rogerii Conf. de Comm. non Pont. qui inter primos S. Francisci discipulos numeratur, pro die quinta Martii sub ritu dupl. min. necnon Sanctæ Agnetis, germanæ Sororis Sanctæ Clare de Comm. Virg. sub ritu dupl. maj. pro die decima Novembris, Sanctitas sua, attentis peculiaribus circumstantiis, petitis benigne annuit. Die 15. Apr. 1752.

Ad preces Mariæ Teresiæ Augustissimæ Romanorum Imperatricis electæ, necnon Hungariæ Regiæ idem SS. Dominus N. benigne annuens, indulisit, ut officium cum orat. & lect. 2. nocturni prop. ac miss. in honorem Sancti Camilli de Lellis Conf. sub ritu dupl. min. in omnibus regnis & provinciis hereditariis eidem Imperatrici subjectis, ab omnibus utriusque sexus, qui ad horas canonicas tenentur, imposterum recitari, ac miss. respective celebrari possint, & valeat. Die 29. Maii 1752.

CASALEN. Præminentiarum, in qua ad sequentia dubia.

I. An, & quomodo Præpositus, & Canonici collegiæ ecclesie S. Marti Majoris de Platea civitatis Casalis intervenire possint Congregationibus habendis ante synodi celebrationem in casu &c.

II. An dictus Præpositus interveniendæ Congregationibus præcedere possit Canonicos cathedralis in casu &c.

III. An, & quo habitu possint accedere Dignitates & Canonici dictæ collegiæ in synodo in casu &c.

IV. An, & ubi occasio dictæ synodi sedere debeant Canonici cathedralis, & Canonici collegiæ in casu &c.

V. An Canonici ecclesie cathedralis in synodo possint uti sedibus cum brachiis, vel potius debeant uti scamnis à pavimento elevatis per unum gradum aliquo panno cooperitis, & possint etiam Canonici collegiæ uti iisdem scamnis absque tamen dicto gradu, benè verò aliquo panno cooperitis in casu &c.

VI. An prædictis scamnis tam Canonici cathedralis, quam Canonici collegiæ uti debeant in Rogationibus, dum à Canonicis cathedralis canitur missa in ecclesiis, collegiata, vel Regularium, & ubi utriusque ecclesie Canonici sedere debeant, quando presbyterium non est capax: Sive potius sit servandum assertum solum in casu &c.

VII. An convenientibus simul utroque Capitulo in missis Rogationum, osculum pacis, & thurificatio danda sit Canonicis, & Dignitatibus etiam collegiæ: seu potius sit servandum assertum solum in casu, & quatenus affirmative ad primam partem.

VIII. An, & à quo dictum osculum, & thurificatio danda sit Dignitatibus, & Canonicis collegiæ in casu &c.

IX. An Magister cæremoniarum dictæ collegiæ gestare possit per civitatem habitum violacei coloris cum ferula, & associare Canonicos ejusdem collegiæ in processionibus, in quibus non interveniunt Canonici cathedralis in casu &c.

X. An Episcopo pontificalia celebranti in ecclesia dictæ collegiæ præstanda sit assistentia à Canonicis cathedralis, seu potius à Canonicis ejusdem collegiæ in casu &c.

XI. An, & à quibus Canonicis præstanda sit assistentia Episcopo celebranti missam privatam, vel alias privatas functiones exercenti in dicta collegiata in casu &c.

Sacr. Rituum Congr. die 15. Julii 1752. respondit: Ad I. Affirmative arbitrio Episcopi. Ad II. Negative. Ad III. Incedere debere in habitu choralis, & amplius. Ad IV. Servetur solum. Ad V. Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam; Affirmative quoad tertiam, & quoad colorem arbitrio Episcopi, & amplius. Ad VI. Sedere debere in scamnis, & in reliquis servetur solum, & amplius. Ad VII. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, & amplius. Ad VIII. Dilata, & exquiratur votum Magistrorum Cæremoniarum. Ad IX. Negative, & amplius. Ad X. Affirm. ad primam partem, negative ad secundam, & amplius. Ad XI. posse præstari assistentiam ab alterutris ex Canonicis non venientibus utriusque Capitulari arbitrio Episcopi.

Ord. Min. Observant. S. Francisci.

1597 Porrectis Sac. Rituum Congregationi humillimis precibus per P. Fratrem Bernardinum à Terlitio Commissarium General. Curie Ord. Min. S. Franc. de Observ. pro approbatione Oratoris, & lectionum propriarum 2. nocturni in honorem S. Jacobi de Marchia ejusdem Ord. Sacra eadem Congr. supradictas orationem & lect. per Eminentiss. & Reverend. D. Card. Cavalchini Pontem, necnon per R. P. D. Ludovicum de Valentibus fidei Promotorem mature revisas & examinatas approbavit, easque ab omnibus Religiosis utriusque sexus præfati Ord. recitari posse benigne concessit. Die 9. Decembris 1752.

1598 Ex decreto S. Rit. Cong. edito die 16. Decemb. 1752. conceditur officium, & missa pro ditione Austriac. in honorem B. M. de Socors Virg. cum antiph. ad Benedicti, & Magnif. ac lect. 2. nocturni, & oratio prop. pro die 25. Septembris.

1599 Pro concess. offic. & miss. Beati Josephi à Cupert, extant Seq. desumpta ex Brevis Beati. ejusdem Beati à SS. Domino Nostro Benedicto XIV. Fel. Rec. edito die 20. Febr. 1753. incipiente: Aternus Dei Filius &c... ac de eo (id est, B. Josepho) quotannis die 18. Sept. quam diem pro ejus festivitate celebranda prescribitur, ut sub ritu dupl. min. recitari offic. & miss. de commun. Conf. non Pontif. cum orat. à Nobis approbata, juxta rubr. Brevis & Missal. Rom. Recitationem autem offic. &

miss. celebrat. hujusmodi fieri concedimus, tum in proprio Min. S. Fratr. Convent. Ordin. in quo solemnè emissa professione usque ad obitum permansit tum in Ord. Pratr. Min. ejusdem S. Franc. Cappucc. (inter quos per aliquot annos commoratus est) ac de Observ. Reformat. Re-collector. & Excalceator. ac Tertii Ord. nuncupator.

MONTIS REGALIS, SEU CUNEEN.

Concessionis officii, & missæ de comm. Confessor. non Pontif. Beati Angeli à Clavasio Sacerdotis Professi Ordinis Minorum de Observantia Sancti Francisci.

Cum discussa, & approbata fuerit à Sacra Rituum 1600 Congregatione sub die 14. Aprilis currentis anni ad relationem Eminentissimi, Reverendissimi Domini Cardinalis Alexandri Albani Causa Canonizationis B. Angeli à Clavasio Sacerdotis Professi Ordinis Minorum de Observantia Sancti Francisci, Sententia per Reverendissimum Episcopum Montis Regalis lata super cultu ab immemorabili tempore dicto Beato præstito, sive super casu excepto à decretis San. Memoriae Urbani VIII. editis: P. Fr. Leopoldus à Roma ejusdem Ordinis Minorum de Observantia Reformatorum Sancti Francisci causæ postulator Sanctissimo Domino Nostro Benedicto PP. XIV. humillime supplicavit, quatenus in memoriam ipsius Beati officium, & missam sub ritu dupl. de communi Confessoris non Pontif. primo loco, cum oratione Adieto de eodem communi secundo loco, die duodecima mensis Aprilis singulis annis recitan. tam pro universo Ordine Minorum utriusque sexus Sancti Francisci, quam pro civitate nuncupata Cunei, & tota diocesi Montis Regalis, ubi dictus Beatus obdormivit in Domino, proque civitate nuncupat. Clavasii, quo natus est, totaque diocesi Iporreg. sub eodem ritu benigne concedere dignaretur. Et Sanctitas sua Oratoris instantiis benigne annuit, Die 26. Mart. 1753.

URBIS, ET ORBIS.

Cum Sacror. Rit. Congr. die 7. Decembris 1737. approbante San. Mem. Clemente PP. XII. Offic. Sancti Vincentii à Paulo Congreg. Missionis fundator cum orat. & lect. 2. noct. propriis pro eccles. univers. sub ritu semid. recitari concesserit, & supplicantibus modo SS. D. N. Benedict. XIV. Presbyteris ejusdem Congreg. pro elevat. Ritus officii prædicti à semidupl. ad dupl. min. accedentibus etiam piis precibus Sereniss. Caroli Regis utriusque Siciliae per Ducem de Cerisano ejus nomine humilliter porrectis, Sanctitas sua ad relat. mei Secretarii, hujusmodi instantiæ benigne annuendo, petitum offic. S. Vincentii à Paulo ab omnibus Christianidel. tam secularibus quam regularibus utriusque sexus, qui ad horas canonic. tenentur, sub ritu dupl. min. imposterum recitari mandavit. Die 12. Maii 1753.

A N C O N I T A N A.

Postquam Sacror. Rituum Congreg. die 15. Sep. 1602 tem. elapsi anni, annuente Sanctissim. D. N. Benedicto PP. XIV. die 19. ejusdem mensis approbatus fuit casus exceptus à decretis San. Mem. Urbani VIII. seu cultus publicus præstitus Beato Gabrieli Ferretti Religioso Professi. Ord. Min. de Observ. S. Francisci: Frater Joseph Amadeus à Taurino Sacerdos ejusdem Ordinis Postulator humillime eidem S. D. N. supplicavit, pro concessione offic. & missæ, in memoriam dicti B. Gabriels, tam pro universo Ord. Min. quam pro civitate & diocesi Anconitana, in qua dictus Beatus dormivit in Domino, & sacrum ejus corpus requiescit; & Sanctitas sua ad relationem mei Secretarii benigne concessit annuendo ejusdem instantiæ, ut singulis annis, die qua ejusdem Beati commemoratio peragitur, in præfato Ord. & in civitate & diocesi Anconitana petitum officium, & missa de Comm. Conf. non Pont. primo loco, Orat. Adieto eodem Comm. 2. loco sub ritu dupl. min. ab omnibus utriusque sexus, qui ad horas canonicas tenentur, recitari &



respectively celebrari possit, & valeat. Die 28. Aug. 1754.

Ord. Min. S. Franc. de Observantia.

- 1603 Supplicante Fratre Carolo Maria Perusino Commis. Gen. Curie Ord. Min. S. Franc. de Observ. SS. Dom. Nostro Benedicto PP. XIV. pro facultate recitandi offic. cum missa B. Helenæ Enselminæ Monialis Clarissæ ejusdem Ord. jam sub die 9. Martii 1701. annuente San. Mem. Clemente XI. Monialibus monasterii nuncupat. della Beata Helena in diocesi Patavina concessum, Sanctitas sua ad relationem Eminentiss. & Reverendiss. D. Card. Tamburini Sac. Rit. Congreg. Præf. Oratoris Instantiæ benigne annuit pro commemorat. tantum prædictæ Beatæ in die ejus obitus; seu sub ritu simplicis, pro fratribus, Monialibus jurisdictioni Ministri Generalis totius Ord. Min. subjeclis, die 16. Januarii 1755.

#### ALEXANDRINA.

Concessionis officii S. Christinæ Virg. & Mart. pro die 24. Julii.

- 1604 Potrecto SS. D. N. Benedicto XIV. supplici libello, quo Rev. Alphonsus Mirolihus Episcopus Alexandrinus, nomine etiam Cleri Secularis, & Regularis suæ civitatis, & diocesis ad devotionem, & cultum erga S. Christianam Virginem, & Martyrem augendum confirmandumque humillime supplicavit, ut officium, & missam ejusdem Sanctæ eo modo, & forma, quo civitati, & diocesi Taurinensi, die 5. Aprilis 1742. concessa reperiantur, ad Clerum præfate suæ civitatis, & diocesis extendere dignaretur; Sanctitas sua ad relationem mei Secretarii pro gratia benigne annuit; die 9. Aprilis 1755.

#### PISAUREN.

- 1605 Potrectis humilliter precibus S. R. C. à Duce Philippo Sfortia Cesarini, quatenus officium, & missam de comm. non Virg. nec Mart. cum infrascripta oratione propria B. Seraphinæ Sfortiæ Monial. Professæ monasterii Corporis Domini Pisauri Ord. S. Clare civitatis, & diocesis Pisaur. necnon universo Ordini Minorum S. Francisci, ac insuper ecclesiis, & oratoriis, quæ sunt de Jure patronatus præfati Ducis, sub ritu dupl. min. concedere dignaretur; Sac. Congr. ad relationem Emin. & Reverendiss. D. Cardinalis Columnæ de Sciarra Pœnensis, auditio prius R. P. D. Benedicto Veterani Fidei Promotore, benigne rescripsit, *Pro gratia* quoad civitatem tantum sub ritu dupl. min. quo verò ad diocesem Pisaurensem, necnon Ord. Min. & oratoria propria, & ecclesias principales feudorum Oratoris sub ritu Semidupl. tantum ad primam diem non impeditam ab Ordinariis locorum designandam si SS. D. N. placuerit. Die 29. Novemb. 1755. Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem SS. D. N. relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die 10. Decemb. 1755. D. F. Card. Tamburinus Præf. = *M. Marefusus S. R. C. Secret.* = In festo ejusdem Beatæ die 9. Septemb.

#### ORATIO.

Deus, qui Beatam Seraphinam eximium nobis patientiæ exemplum tribuisti, præsta supplicibus tuis, ut & ipsius instruamur exemplis, & ab omnibus ejus patrocinio liberemur adversis. Per Dominum &c.

#### ALEXANDRINA.

- 1606 Ad magis excitandum cultum erga Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum Clerus Secularis civitatis Alexandriæ pro Indulto recitandi singulis feriis quintis minime impeditis officium, & missam ejusdem Sanctissimi Sacramenti SS. Domino Nostro Benedicto Papæ XIV. humillime supplicavit. Et Sanctitas sua, attentis peculiaribus circumstantiis, ad relationem mei Secretarii gratiam petitam sub ritu semiduplici Oratori-

bus benigne concessit; exceptis tamen Adventus, Quadragesimæ, ac Vigiliarum temporibus, sive cum jejunio, sive absque jejunio, atque illis feriis, in quibus secundum rubricas sit reponendum officium de festo duplici, vel semiduplici translatio: die 10. Dec. 1755. = D. F. Card. Tamburinus Præf. = *M. Marefusus S. R. C. Secret.* =

#### Tirasonen. Beatificationis, & Canonizationis.

Venerabilis Servæ Dei Mariæ à Jesu Abbatisse monasterii Conceptionis oppidi de Agreda Ordinis S. Francisci.

Cum pervenerit in Urbem assertum Autographum 1607 operis Mystice Civitatis Dei Ven. Servæ Dei Sororis Mariæ à Jesu de Agreda, ex Monasterio Agredano Tirasonen. diocesis extractum, & ad SS. D. N. transmissum una cum aliis indubis exemplaribus characteris Servæ Dei, necnon processus super ejusdem characteris identitate, à Reverendiss. Episcopo Tirason. confectus juxta ea, quæ SS. Dominus Noster Bened. XIV. pro ea, qua prædictus est sapientia, & doctrina præscripserat in epistola ad P. Raphaelem à Lagagnano tunc Ministrum Generalem Ordinis Minorum die 26. Januar. 1748. habita est Congregatio particularis Sacror. Rit. de mandato SS. in qua interfuerunt Eminentissimi, & Reverendissimi Patres Cardinales Portocarrero, Cavalchini, Tamburini, & Galli, necnon R. P. D. Benedictus Veterani Promotor Fidei, & Ego Secretarius, in eaque, omnibus mature perpensis, examinatisque non minus Peritis in Hispania accurate confectis, quam aliis tribus Peritis in Urbe, prævia instructione dicti R. P. D. Promotoris Fidei peractis, omnes fuerunt in sensu = *Constatre Ven. Servam Dei Sor. Mariam à Jesu de Agreda scripsisse Hispano idiomate Opus, de quo agitur, in octo Tomis distributum sub titulo: La Mística Ciudad de Dios. Necnon si SS. placuerit, restitui posse Autographum memorati operis, cum ejus Apographum, accuratissime compulsatum, existat in processu informativo assertivo in Actis Sacræ Congregationis.* Die 7. Maii 1757.

Facta deinde per me Secretarium de prædictis relatione Sanctissimo, Sanctitas Sua benigne approbavit resolutionem Sacræ Congregationis, necnon restitui mandavit Eminentissimo D. Cardinali Portocarrero Autographum dicti Operis Mystice Civitatis Dei, in Hispania remittendum. Hac die 8. Maii 1757. = D. F. Card. Tamburinus Præf. = *Loco Sigilli. = M. Marefusus S. R. C. Secret.* =

#### DECRETUM PISAUREN.

Lection. 2. Nocturn. B. *Michelinæ Viduæ.*

Sanctissimus D. N. Bened. Papa XIV. ad humillimas 1608 preces Patris Mag. Frat. Dominici Andreæ Rossi Procuratoris Generalis Ord. Minor. S. Francisci Convent. benigne indulisit, suprascriptas lectiones 2. Nocturni B. Michelinæ Vid. Tertii Ord. S. Francisci, cum Oratione jam sub die 6. April. 1742. ab eadem Sanct. sua approbata ab Eminentiss. D. Card. Tamburino S. R. C. Præf. una cum R. P. Benedicto Veterani Fidei Promotore, meque Secret. accurate revisas, benigne approbavit, ac insuper concessit, ut singulis annis in memoriam ejusdem Beatæ à Fratibus Min. S. Francisci Convent. & aliis, quibus ex Indulto Apost. concessum est ipsius Beatæ officium de communis, eadem lectiones, una cum Oratione, recitari possint, & valeant. Die 1. Sept. 1757.

#### DECRETUM.

Ord. Minor. S. Francisci de Observantia.

Ad preces P. F. Josephi Torrubia Comm. Generalis 1609 Curie Ord. Frat. Min. S. Francisci de Observantia, Sanctiss. D. N. Benedicto Papæ XIV. humillime potrectas, eidem relatas ab Eminentiss. & Reverendiss. Cardin.

din. Tamburino S. R. C. Præf. auditis prius per dict. Eminentiss. R. P. D. Benedicto Veterani Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, Sanctitas Sua benigne indulisit, ut in festo, & per octav. S. Francisci Soliani ab omnibus iis, qui ad officium recitandum, evansamque in illius memoriam celebrandam tenentur, missagium *Euntes in Mundum veterum* &c. tam in missa, quàm in officio, simul cum Homilia S. Gregorii Papæ quæ incipit, *Potest omnis Creature nomine*, &c. & quæ legitur in festis SS. Cypriani, & socior. & S. Franc. Xavierii, uti possint, & valeant. Hac die 26. Sept. 1757.

#### TAURINEN.

- 1610 Supplicante Eminentissimo & Reverendissimo Domino Cardinali Archiepiscopo Taurinensi. S. R. C. ut festivitas Sanctissimæ Siondis, quæ proximo anno 1758. occurrit in die Ascensionis D. N. J. C. una cum officio transferri possit ad diem subsequentem pro Dominiis Serenissimi Regis Sardinia, Sac. Congr. ad relationem mei Secretarii pro hoc anno tantum petitis benigne annuit. Die 10. Dec. 1757.

#### DECRETUM

Ord. Min. S. Francisci de Observantia.

- 1611 Potrectis Sanctiss. D. N. Benedicto Papæ XIV. humillimis precibus per P. Fr. Josephum Amedeum à Taurino Ord. Min. S. Francisci de observantia Posulatorem Generalem Cansarum Servorum Dei dicti Ordinis pro approbatione Lectionum propriarum secundi Nocturni S. Joannis à Capistrano in diebus primo, septimo, & octavo ejusdem Sancti octavæ recitand. Sanctitas Sua suprascriptas Lectiones proprias prout jacent, per Eminentiss. D. Cardinal. Tamburinum Sacrorum Rituum Congregationis Præf. utrumque, una cum R. P. Benedicto Veterani Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario accurate revisas, approbavit, easque à Fratibus, & Monialibus Breviario Ordinis Min. de Observ. utentibus recitari, ac imprimi posse concessit: Quæ tamen lectiones ead. Sanctitas Sua, ne umquam ad Clerum Seculare extendantur, præcipit die 20. April. 1758.

#### URBIS ET ORBIS.

- 1612 Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa XIII. inter multiplices Apostolatus sui curas, Sacrorum Rituum amplitudinem præ oculis habere non præmittens, pia meditatione perpedit, quod quamvis compertum sit festis quibusvis diebus ecclesiam jugi cultu Sacrosanctæ & individuae Trinitatis solemniam colere, quum Deum ipsum, qui est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus rerum omnium opifex, & ad quem omnia referenda sunt, in festis quoque Deiparæ, & aliorum Sanctorum venerari, glorificare profiteatur; maxime tamen deceat Dominica die, quo Deus ipse lucem condidit, quo Jesus Christus à mortuis resurrexit, quo sedens ad dexteram Patris Paracleti Spiritum Sanctum misit de cælis, quo proinde ineffabile, & incomprehensibile Trinitatis mysterium manifestum factum est nobis, quemadmodum in divino officio, tum ad Primam recitando symbolum *Quicumque*, tum plefuitum in ultimo tertii Nocturni responsorio Augustissimæ Triadis fit commemoratio, idem & in Missæ sacrificio peragi, & in ea potissimum parte qua contestamur dignum, & justum esse Deo gratias agere: Eumque collaudare, benedicere, & prædicare: Idcirco ad majorem, splendidioremque tantum mysterii gloriam, ut fideles quoque, qui die Dominico missæ interesse debent latius, atque apertius Sacrosancti ejusdem mysterii præconia audientes, debitum & ipsi servitutis obsequium supremæ impendant majestati, statuit, atque decernit, quod singulis Dominicis diebus totius anni, quibus præfationes propriæ per rubricas non sunt assignatæ, incipiendâ Dominica Sanctissimæ Trinitatis currentis anni 1759. Sacerdotes omnes utriusque Cleri Secularis nempe, atque Regularis Præfatio-

nem de Sanctissima Trinitate, quæ jam inde à vetustissimis temporibus in usu fuisse dignoscitur, in missa recitare teneantur, & ita inviolabiliter observari mandavit. Hac die 3. Jan. 1759.

*Decretum Ordinis Minorum Observantium, ac Reformatorum S. Francisci.*

Humillime Sac. Rit. Cong. supplicante R. P. Fratre 1613 Clemente à Panormo Ministro Gen. Ord. Min. Observ. ac Reform. S. Francisci pro concessione officii, & missæ de Comuni Conf. non Pont. in honorem B. Petri à Mollano pro universo Ordine prædicto & Terra Mollani diocesis Firmanz, cujus Sacrum Corpus Camerti requisit, in sequelam casus excepti in vim temporis immemorabilis in causa dicti Beati approbati die 9. August. 1760. S. R. C. ad relationem mei infrascripti Secretarii loco Eminentiss. ac Reverendiss. Dom. Card. Cavalchini Pœnensis, auditio R. D. Cajetano Forti Fidei Promotore, qui suam sententiam voce exposuit, petum officium, & missam sub ritu duplici minoris ab omnibus utriusque sexus prædicti Ordinis, qui ad horas Canonicas tenentur tantum pro die non impedita ac designanda per Superiorem Generalem Ordinis, recitari, ac respectively celebrari concessit, si SS. D. N. placuerit, die 3. Martii 1761.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem SS. D. N. relatione, Sanctitas sua benigne annuit, die 3. Martii 1761. = D. F. Card. Tamburinus Præf. = *Loco Sigilli. = J. M. de Lerma S. R. C. Secretarius.* =

Tenore itaque hujus concessionis Reverendiss. P. N. Gener. Ordin. diem 13. Augusti sancivit pro celebratione officii & missæ in honorem supradicti Beati: quod si in aliqua provincia, vel conventu præfata dies sit aliquo officio jam præoccupata, tunc decernit primam simili officio non impeditam post diem 13. Augusti.

#### DECRETUM.

Edito nuper in publicam lucem libro, cujus inscriptio 1614 titio est: *Decreta authentica S. R. C. non illustrata. Prima editio Romana. Romæ 1762. apud hæredes Joannis Laurentii Barbilini in Foro Pasquini:* cum non defuerint qui à Nobis uti S. R. C. Præf. sciscitarentur, an decreta illa pro veris, & authenticis, quemadmodum ab Auctore nuncupantur habenda essent? SS. D. N. cui rem omnem auditis prius RR. PP. Scipione Burgesio ejusdem S. C. Secretario, & Cajetano Forti Fidei Promotore, accurate retulimus, vehementer sollicitus, ne in sacris cæremoniis, ac ritibus, quibus Dei cultus atque religio servatur, & augetur, decipi umquam possit fidelis aliquis speciosa illius tituli nuncupatione, qua librum inscripsit primus ejus Auctor *Spiridion Talis Sacerdos Veneris*, facultatem Nobis impertitus fuit declarandi, prout hoc præfati decreto decernimus, & declaramus, ea, quæ illo in libro primum Venetiis, mox in hac ipsa Urbe typis dato indicantur, vel scribuntur decreta, non ita esse pro authenticis accipienda, ac si fuissent ab ejusdem Sacræ Congregationis auctoritate profecta, sed privati tantum Auctoris fidem habere, non solemnem, ac publicam, quæ solum ubi res tulerit, ex publicis Sacræ Congreg. Actis peti debet. Atque hoc solemne decretum, ne quis ejus ignorantiam prætextat, typis mandari, ac publicari jussimus. Hac die 24. Julii 1762. = *Joseph Maria Card. Feroni Præfatus. = Loco Sigilli. = S. Burghesius S. R. Secret.* =